


QVOD si diameter latere Rhombi minor fuerit, sit datus excessus A, lateris in aliquo Rhombo supra diametrum, vna cum angulo L. Construaturs Rhombus quantuscunque BDCE, habens angulum D, æqualem dato angulo L, vt in tertio Rhombo. Et quia vt latus superet diametrum, ducenda est diameter per angulos obtusos, ^a (quod diameter per acutos angulos ducta semper maior est ^a 19. primi. Rhombilatere) ducatur diameter BC, quam latus BD, excedat recta DF, quæ si æqualis fuerit excessui dato A, factum erit, quod iubetur: Si verò inæqualis: fiat vt DF, ad excessum A, ita BD, latus ad BG, compleaturque Rhombus GI, circa eandem diametrum, quem dico esse quæsitum. Abscissa namq; recta GK, æquali excessui A: fiet demonstratio, vt in quadrato, vt perspicuum est, si loco diametrorum BD, BG, in quadrato, sumantur hic latera BD, BG.

TUNC autem latus Rhombi maius erit diametro (vt hoc etiam obiter monemus) cum semissis anguli obtusi maior fuerit angulo acuto eiusdè Rhombi. Nam si in tertio Rhombo angulus CBD, qui semissis est anguli obtusi B, vt in schol. propof. 34. lib. 1. Euclid. ostendimus, maior sit angulo acuto D; ^b erit ^b 19. primi. latus BD, hoc est, CD, maius diametro BC, in triangulo BCD. Quando autem semissis anguli obtusi fuerit minor angulo acuto, vt in Rhombo secundo; ^c erit ^c 19. primi. diameter latere maior in triangulo BCD.

TERTIO sit datus excessus A, diametri rectanguli alicuius supra alterum laterum inæqualium, vna cum angulo L, quem diameter cum eo latere constituit, vel vna cum proportione M, ad N, quam illud latus ad alterum habet. Si ergo angulus L, est semirecto minor, vel certè proportio M, ad N, maioris inæqualitatis, vt in priori rectangulo, erit A, excessus diametri supra maius latus: Si verò angulus L, est maior semirecto, vel proportio M, ad N, minoris inæqua-



litatis, erit A, excessus diametri supra minus latus. Constituantur ergo angulus CBD, angulo L, æqualis, fiatque rectangulum BCDE, circa assumptam diametrum BD. Vel fiat BC, quantacunque ad CD, perpendicularem, vt M, ad N: completoque rectangulo CE, ducatur diameter BD, excedens latus BC, recta DF, quæ si fuerit æqualis dato excessui A, constructum erit rectangulum CE, quod quæritur: Si verò inæqualis, fiat vt DF, ad excessum datum A, ita BD, ad BG, compleaturque rectangulum HI, quod erit quæsitum. Abscissa enim recta GK, æquali excessui A, demonstrabitur propositum, vt in quadrato.

QVARTO & vltimo sit in aliquo Rhomboide datus excessus A, diametri supra vtrumuis inæqualium laterum, vna cum angulo Rhomboidis O, & insuper cum angulo L, quem diameter cum latere, cuius excessus sumptus est, effi-

X x

cit,